DE RENUM MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. MAJI A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MARCUS PEISER
LIGNICENSIS.

Opponentibus:
I. HERZBERG, med. et chir. Dr.
L. EHRLICH, med. et chir. Cand.
S. EPHRAIMSON, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

J. C. Koehler,

ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, GYMNASII, QUOD LIGNITII FLORET, DIRECTORI, BORUSSORUM REGIS CENTRIONI EMERITO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO SUMMEQUE COLENDO

NEC NON

VIRO

SPECTATISSIMO, HONORATISSIMO

S. Prager,

MERCATORI LIGNITII

SUMMOPERE AESTUMANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LITERATURA.

Celsus de medicina Lib. V. cap. 26.
Eustachius, Libellus de renibus. Venet. 1563.
. Loesel, Scrutinium renum, in quo genuina renum fabrica et actio eorumque affectus potiores succincte traduntur et explicantur. Königsb. 1642
A. Friderici Diss. de renibus. Jen. 1663.
L. Bellini, De structura renum, cui renum monstrosorum exempla ex medicorum celebriorum scriptis addidit G. de Blasius. Amsterd. 1665.
Wedel, Diss. de inflammat. renum, Jenae 1697.
idem Diss. de dysuria Jenae 1704.
Schoper, Diss. de mictu cruento. Erf. 1715.
Vater, Diss. de nephritide vera ejusdemque curandi ratione legitima. Wittenb. 1718.
M. Alberti, Diss. de mictu cruento. Halle 1719.
B. H. Reinhardt, Diss. de affectibus renum frequentioribus, speciatim vero de exulceratione renum. Giess. 1726.
Dupré, Diss. de nephritidis pathologia et therapia. Erf. 1725.
Verhagen, Diss. de nephritide. Leyden 1726.
Ch. Gtf. Stenzel, Diss. de utriusque renis mechanismo, usu et morbis. Wittenb. 1727.

Jac. Byster, Diss. de nephritide. Lugd. 1734.

L. J. de Wolff, Diss. de nephritide. Lugd. 1736.

J. M. Bendien, Diss. de renibus eorumque affectibus. Utrecht 1763.

C. H. Meyder, Diss. de urinae se- et excretione ob multitudinem arteriarum largiore. Halle 1763.

Hasselmann, Diss. de haematuria nephritica. Leyd. 1768.

Sim. Neubig, Diss. de acrimonia urinosa in corp. human. retenta. Götting. 1783.

Wintringham, De morbis quibusdam commentar. Lond. 1783.

Troja, über d. Krankht. d. Nieren, der Harnblase und der übrigen zur Ab- und Aussonderung des Harns bestimmten Theile, im Auszuge aus dem Italienischen mitgetheilt. Leipzig 1788.

Heer, Diss. de renum morb. eorumque diagnosi, causis etc. Halle 1790.

Espenmüller, Diss. de nephritide. Giessen 1790.

F. A. Walther, einige Krkhtn. der Nieren und Harnblase untersucht und durch Leichenöffnungen bestättigt. Berlin 1800.

Henke, Diss. de nephritide. Paris 1814.

Laurent considérations générales sur la néphrite. Paris 1184.

Howship, a practical treatise of the most important complaints, that affect the secretion and excretion of the urine. London 1823.

König, pract. Abhandl. über d. Krkhtn. d. Nieren. Leipz. 1826.

Renum morbos primum medici nostrae aetatis accuratius distinguere coeperunt, veteres enim scriptores multos affectus partium in regione renali sitarum eodem nomine designabant, neque iis illorum momenta pathologica ita, ut nunc nobis, satis cognita erant. Attamen vero diagnosis horum morborum tantam adhuc difficultatem praebet propter symptomatum inconstantiam et varietatem, ut saepe facillime cum iis alii morbi confundi possint, atque adeo Pemberton non tam difficile esse, ait, Nephritidem distinguere a vitiis partium vicinarum, quam remotiorum, quum dolores celerrime ab una ad alteram partem propagentur morbique sedem perturbent. Atque etiam fieri potest, ut renes valde laborent, etiamsi symptomata localia interdum nulla appareant. 1)

1) Naumann, Handb. d. mediz. Klinik. Bd. VI. S. 149.

Priusquam vero renum morbos describam, liceat mihi L. B. ut, quae de anatomia pathologica renum comperta habemus, ea commemorem.

In organis uropoeticis saepius quam in aliis corporis partibus vitia formationis occurrunt 1); provectiori vero aetate rarius mutationes morbosae oriuntur, atque in plurimis morbis tam acutis quam chronicis renum compages integra remanet. 2) Quod ad numerum renum attinet, interdum uterque ren deest 3) nonnunquam alteruter dumtaxat invenitur 4). Paulisper renes coalescunt. 5) — Situs renum modo iusto profundior est, modo altior. 6) Forma etiam variat, sicut Rudolphi et Meckel renes perlongos viderunt, 7) tum vero rotundi vel plani vel fere quadranguli vel pyramidales cernuntur, 8) nonnunquam in multos lobulos partiti videntur. 9)

Quae in renibus obveniunt vitia haec sunt. Atrophia 10) et Hypertrophia. 11) Emollitio, quae tanta esse

---

1) Meckel Handb. d. pathol. Anat. Bd. I. S. 609.
2) Andral S. 358.
3) Meckel S. 186.
4) Voigtel, Handb. d. pathol. Anatom. Thl. 3. S. 170.
5) Loder, Progr. de renum coalitu. Jena 1786.
6) Haller a. a. O. S. 639.
7) Rudolphi Bemerkungen Th. II. p. 68.
8) Hopfengärtner in Hufelands Journ. f. d. pr. H. I. S. 513.
9) Ruysh, advers anat. Dec. I. ob. 9.
10) Morgagni Epist. XI. nr. 22. 23.
11) James Hope, Grundzüge der pathol. Anatomie, aus dem engl. herausgegeben von Dr. M. S. Krüger. Berlin 1836. renes volumine duplo majores, ceterum integros observans, ait, volumen alterutrius renis praecipue augeri, si alter aut atrophia corripitur, vel plane deest; ex quo effici vult, causam hujus rei in aucto sanguinis affluxu positam esse. — C. H. Meyder Diss. casum affert, ubi ob multitudinem arteriarum hypertrophia evenit. Martin vero (Annales de Sc. naturelles. 1826. Janv. p. 82.) contrarium ostendit. —

potest, ut parenchyma pressu quodam in pultem mutetur. Granulatio, 1) quam Bright in tres quidem dividit species, tamen vero dubitans, an nonnisi gradus varii unius ejusdemque mali sint.

In prima specie, volumen non est auctum, substantia mollior quam in statu sano, extus lutei, intus lutei et fusci coloris; morbo crescente superficies fere tuberculosa cernitur. In secunda, substantia corticalis in nonnullis locis granulosa, puncta praebens albida, volumen auctum. In tertia, superficies inaequalis est, saepe renes duritiem quandam habent.

Rayer Traité des maladies „des reins et des altérations 1837" sex species distinguit.

In prima puncta rubra observantur, renes sanguine impleti sunt. In secunda, substantia corticalis adspectum praebet ac si sanguis injectus sit, substantia tubularis rubra. In tertia, anaemia, parvae maculae lividae vel fuscae, et granula albida conspiciuntur. In quarta, substantia corticalis coloris est flavescentis, parvas maculas albidas offert, substantia tubularis rubri coloris est. In quinta, renes colorem flavidum cum fissuris habent. In sexta renes sunt duri, in superficie inaequales, verrucosae.

Tumores cystici saepe in renibus observasse vult Cruveilhier, quae formantur eo, quod ureter ex causa quali obturatur et fluidum, pus, vel mucus vel urina calices renales valde extendit, qua re ambitum permagnum assequi possunt. Atque etiam e telis serosis cellulosis gigni possunt. 2)

---

1) Hope dicit granulationes tantum corpora Malpighii morbose evoluta esse vid. pag. 351.

2) Caesar Hawkins casum observavit, ubi in tali vesica magna seri copia inerat, qua re morbum „tumorem cysticum aquosum" nominat. Medico-Chirurg. Transact. Vol. XVIII.

Encephaloides, quod vitium saepius obvenit et quidem vel in parenchymate vel in venis renum. Structura ejus exhibet fila, rete quoddam constituentia, quod materiam modo gelatinosam modo cerebri consistentiae similem contient, et magnitudinem capitis infantis attingere potest.

Hydatides jam a multis vetustioribus medicis descriptae sunt. 1) — Eustachius etiam tumores describit, qui eo orti erant, quod tunica propria a flatibus extendebatur.

Nonnunquam renes et in adipem mutati sunt. 2)

Tubercula perraro renes tenent; Quod si evenit, tum ut plurimum, etiam aliis organis obsident tubercula. Praeter hasce formationes multi antiquiores auctores etiam vermes in renibus oriri contenderunt, alii tamen ut Morgagnii de hac re dubitant, quamquam non desunt, qui vermes emitos mictu ejectos vidisse voluerint 3); Et Calculi et pili 4) reperiebantur.

NEPHRITIDIS ACUTA.

Dolorem non stricte insidere atque uni loco inhaerere jam Galenus docuit. Aretaeus dolorem obtusum, ait,

---

1) Fernelius, Pathol. L. VI. cap. 12.

2) Morgagni, Epist. XLVI. nr. 29. renes vidit, qui, externe pauco dumtanat adipe pingue circumdati, interne inter papillas permagna adipis copia impleti erani. — Baader vidit renem sinistrum in adiposam materiam mutatum, magnetudine capitis infantix, cajus mediam excavatum erat.

3) Barry descripsit vermiculum pollicis longuitudine, anguillulae similem, rubrum, oculis, ore, annulisque instructum. Sauvages Nosol. T. III. P. II. p. 54.

4) Rhodiginus ait „obvenire quandoque compertum est, ut cum urina crassa, carunculae exigua, aut veluti capillamenta exeant et praecipue candida. Quidam vero, corpuscula ejusmodi per urinam, tanta longitudinis reddidit, ut nonnulla ad cubiti dimidium extenderentur. Id ipsum sunt perpessi crassioris succi cibariis vescentes. Lect. antiquar. l. LXVII. cap. 13.

inde a dorso se extendere ad regionem lumbalem. — Dolor ille non solum in loco renis observatur, sed in omnibus partibus communicantibus et connexis cum rene, ut ventriculo, intestinis, inguine, vesica urinaria, et si quando recrudescit dolor, ab ipso rene initium capit, et postremum mitigatus in rene terminatur. — (Verhagen Diss.) — Quodsi parenchymatis inflammatio praevalet, dolor profunde latens, obtusus, premens, sensum tensionis efficiens et pulsans 1) esse describitur; si vero inflammatio renis superficiem obsidet, dolor est acutissimus, pungens vel scindens, sub motu crescens, qui ureteris decursum sequens, ad vesicam usque urinariam, quae saepe spasmo afficitur, et ad regionem inguinalem, ad glutaeos, interdum vel ad scapulum ejusdem lateris, se extendit. Testis spasmo retractus 2) quod symptoma praecipue in nephritide calculosa reperitur. 3) Torpor femoris, jam Hippocrati notus, saepe quidem, at non semper adest. Secretio urinae est diminuta, quamquam aegri frequenter urinae emittendae stimulum sentiunt. In fastigio morbi urinae emissio vel omnino intercipitur, praecipue si uterque ren inflammatus est, (Ischuria renalis) vel urina aquosa excernitur 4) quod pessimum est symptoma, 5) vel flammea, vel intense rubra, cruenta, sanguine mixta; interdum sedimentum purulentum exhibetur.

---

1) Dolor aliquando pulsans, si locus, in quo sunt arteriae, afficitur. Rivière. Prax. med. L. XIV cap. 5.

2) In ipsum abdomen retractus testis a dolore renum aliquando accidit, imo et ex doloribus illis ac vigiliis ipsa mentis alienatio se admiscit. Wedel.

3) Naumann. l. c. Bd. VI. S. 6.

4) Byster.

5) Si summa inflammatio hac vascula occupat, ita saepe stringuntur, ut nihil reddatur lotii: aliquando ut valde parum, pellucidum, tenue, aquosum, quod pessimum. Stoll. Aphor. §. 323.

In decrementi stadio color urinae mutatur 1) nonnumquam sedimentum praebens lateritium. — Febris synocha vehemens, semper fere ab algore incipiens, nunquam deest, et dolor aliaque symptomata, Naumanno auctore, plerumque febrem obsequuntur, quam tamen saepius illis antecedere alii scriptores asserunt. Sic G. Ferrus 2) dolorem dicit localem semper fere febri prægredi. Pulsus est frequens, durus, plenus, vibrans postea parvus, contractus, debilis et intermittens. Calor magnus, cutis arida. — Saepissime symptomata gastrica adsunt. Lingua solet esse aliquantulum obtecta, vomituritio magna, et ejiciuntur ventriculi contenta, vel bilis 3). Singultus et tussis brevis, dolorifica spasmodica, cum magna animi anxietate accedere possunt, quae, ut Hildenbrandio placet, in renis dextri inflammatione summa est 4). In fastigii stadio vomitus apparet vehementior, lipothymia, spasmi clonici, interdum etiam deliria accedunt, pulsus minor tangitur sed tensior et frequentior, extremitates algent. Quandoque gastroenteritidis vel pneumoniae symptomata doloresque colici oriuntur. P. Frank 5) meteorismum observavit tantum in latere renis aegrotante, qui, ut opinatur, partim a sanguine ab urea non liberato, partim a conjunctione nervorum renum cum ventriculi et intestinorum nervis dependet. Clarus 6) casum, observavit ubi, utroque rene inflammato, contenta ven-

---

1) Urinae prodeunt multae et crassae potum quasi coffeanum dilutiorem referentes; aut lactescentes, cum sedimento puriformi mox fundum petente, copioso. P. Frank. Epit. L. IV. p. 239.

2) Encyclopädie der medizinischen Wissenschaften nach dem Dictionaire de Medécine frei bearbeitet, herausgegeben von F. L. Meissner und C. Ch. Schmidt. Leipzig 1832. Bd. IX. p. 203.

3) Sauvages Nosol. T. II. P. I. p. 510.

4) Instit. T. III. §. 821.

5) Epit. L. IV. p. 290.

6) Dessen Annalen Bd. I. Abtheil. II.

triculi vomitu ejecta, odorem valde urinalem ediderunt, atque in ventriculo, sectione cadaveris instituta, massa urinalis odoris inventa est; quibus ex rebus satis elucet, functionem urinae secernendae ab aliis organis, aegrotantibus renibus, perfici. —

NEPHRITIS CALCULOSA 1).

Aegroti subito, maximam partem noctu dolore vehementissimo, ut in colica, corripiuntur, qui secundum ureterum decursum usque ad vesicam patet et interdum remittit. In media linea quae a spina arteriori superiori ossis ilei ad umbilicum excurrit, dolor vehementissimus sentitur, dum in rene ipso non nisi pressus aliquis obtusus sentitur. In vesica urinaria, praecipue in ejus collo et fundo, de dolore plerumque cum urina redditur, queritur. Urina intense rubre sedimentum arenosum coloris rubri vel flavi offert; interdum mucus sanguine mixtus et calculi emittuntur. Cetera symptomata per consensum orta eadem sunt, quae in priori nephritidis genere.

NEPHRITIS TRAUMATICA.

Vulneratio si substantiam corticalem corripuit, tum sanguis merus, si vero substantiam medullarem, tum sanguis cum urina mixtus effluit, et quidem vel statim vel brevi post. Dolores in regione renali oriuntur, unde ad totum alvum propagantur. Interdum aegroti sanantur; sed si peritoneum laesum est, urina in abdominis cavum influit mortemque accelerat. Symptomata ob consensum nata, eadem quae supra.

1) Schoenlein duas formas distinguit. Nephritidem arthriticam et a renum calculis ortam; symptomata vero non differunt.

NEPHRORRHEXIS.

Dolor in loco affecto vel subito vel aliquantulum post acerrimus, facies pallida, urina cruenta, pulsus debilis et minimus, vocis vis refracta, extremitates algidae sudore tenaci obductae. Mors jam intra viginti quatuor horas vitae finem imponere solet. Exitus Nephritidis acutae potest esse resolutio, quae intrat sudore, magnaque urinae copia fere sine molimine excreta, coloris fusci vel coffeani, die 3, 4, 7, 11 adeo 14. Quamdiu vero urina non sine molimine atque abunde emittitur, sanationem sperare non licet 1). Interdum muci secretio ex pelvi renali et uretere per hebdomades nonnullas, inflammatione sublata, sequitur. — Saepius jam observatae sunt etiam critica molimina per haemorrhoides fluentes et per menses. —

Suppuratio s. Nephropyosis, qui status, ut Baillie 2) censet, inter omnes glandulas praecipue in renibus obvenit, saepius fit post inflammationem chronicam. —

Memoratu dignus est casus quem Horst 3) observavit. Uterque ren in saccos pure repletos mutatus cum uretere jam non colligatus erat, tamen vero urina excernebatur; qua re vesicae tunicas renum munere functas fuisse, judicavit. Suppuratio, ut Verhagen vult, exspectari potest si septimo vel nono die dolor mutatur, gravativus fit, si ardor minuitur, et pars ipsa stupet. Saepius dolor fit obtusus, usque ad vesicam propagatus. — v. Swieten semel dolorem urentem usque ad scapulam et cavum axillare patentem observavit 4). Schoenlein dolorem prementem sentiri, qui trunci inclinatione augeatur,

---

1) S. G. Vogel Handb. Th. IV, S. 395.
2) Samml. auserles. Abhandl. Bd. XX.
3) Hufel. Journ. Bd. XXV.
4) §. 1001.

asserit. Secundum Wichmanni 1) opinionem dolor ille interdum non obvenit, vomitus vero, qui nonnunquam subito facile oritur, ad symptomata characteristica refertur. Febris synocha diminuitur et in anomalam convertitur.

In multis casibus febris non manifeste prodiit, sed inquies duntaxat et sitis horis vespertinis aucta, cum pus in abscessu circumscripto inclusum esset. 2) Ex pure vero vel sanguine urinae non semper in renum suppurationem concludere licet, quoniam pus etiam e vesica profluere potest. Wintringham 3) dicit, materiam ex renibus suppuratis in urina depositam, puri esse similem; ex vesica vero sedimentum non solum purulentum, sed etiam tenacem esse. Interdum pus non per ureteres in vesicam pervenit, sed partes molles perforat ita, ut fistula fiat, quae, praecipue si nephrolithi adsunt, difficillime sanari potest.

Nonnunquam pus deponitur, quod in alio loco producitur. Le Dran abscessum vidit in regione lumbali simulque ad internum femoris latus erumpere, in quo casu pus inter pelvis musculos et peritoneum per annulum cruralem penetraverat. Atque etiam in scroto fistulae abscessu renum ortae erant, itemque in perinaeo et in pedis articulo, interdum in canali alimentario pus depositum cernebatur. Saepe hepar et pulmones per consensum aegrotant. De Haen renem vidit pulmonemque sinistrum cum diaphragmatis parte suppuratum. 4) — Quo magis corporis vires collabuntur, eo celerior status intrat ille, qui phtisis renalis nominatur. Aegrotus tum febre hectica cum aestu et sudore colliquativo horis vespertinis corripitur. Cutis sordida saepe icterico colore apparet, lingua est pura, rubra,

---

1) Ideen z. Diagnostik. 3. Aufl. Bd. I. S. 454.
2) Naumann Bd. VI., S. 16.
3) De morbis quibusdam commentar. Lond. 1783.
4) Rad. med. T. X. p. 103.

vespere arida. Ciborum appetentia evanescit, macies augetur, atque diarrhoea colliquativa mortem accelerat.

Interdum malum in statum inflammatorium redit, torpor femoris magis magisque crescit seque extendit usque ad glutaeos, testes, atque adeo ad brachia digitosque. Pluries sub finem hujus stadii aegroti rigent neque se movere poterant; maximam partem decubitum in dorsum amant, quia in latere jacentes ren affectus introrsum premitur doloresque augentur. —

Gangraena. — Quamquam mors jam intrare solet ante huncce exitum, et quidem per apoplexiam et convulsiones, 1) tamen sunt qui eum observarunt. 2)

Symptomata haec sunt: dolor subito minuitur, extremitates algent, pulsus parvus et intermittens tangitur; vomitus persistit, tum vero cedit, singultus; anxietas summa, deliria accedunt. Urina emissa coloris est nigrescento-fusci, valde foetida; nonnunquam ischuria accedit. — Interdum parva urinae aquosae copia excernebatur, corpus vero petechiis obtectum erat, scorbutique symptomata praebuit; ipsa oculorum acies hebes fieri dicunt auctores.

Perraro diabetes post nephritidem observatus est. 3)

---

1) Berends Vorlef. Bd. III. S. 348.

2) v. Swieten l. c. §. 1005.

3) Vir quidam in aetatis flore, diu atrocibus nephriticis doloribus vexatus, renisque abscessum passus in diabetem incidit. Singulis septimanis dolium dimidium cerevisiae ingurgitare difficile illi non fuit. Post mortem cadaver aperiendi copiam mihi fecere consanguinei. Viscera satis bene constituta, exceptis renibus et ureteribus, conspexi; uterque enim ren ex parte consumptus erat, praesertim dexter, cujus substantia plane consumpta, ejus membranas summopere incrassatas et contractas pelvisque capacitatem adaequantes vidi. Ruyschii Observat. anat. chir. centuriae. 4. Amst. 1737.

NEPHRITIS CHRONICA.

Secundum Berends 1) saepius occurrit quam vulgo putatur, quae vero propter diagnosin difficillimam pro Rheumatismo lumborum, spasmis alvi, morbisque iis similibus habetur.

Symptomata saepe mutabilia sunt. Dolor obtusus, tendens, trahens, premens in regione renali et lumbali secundum ureterem decurrens, aliquantulum remittens tum vero validior, interdum usque ad femur se extendens, ibique sensum frigoris torporisque efficiens. Urina crebra aquae similis vel rufa, vel pallida magna cum difficultate secernitur, ex qua sedimentum copiosum, mucosum vel puriforme praecipitatur. Vomitus interdum non accedit. 2) Schœnlein 3) duas formas distinguit, una quae observatur in Individuis juvenilis aetatis, qui Nephrolithis, causa scrophulosa, laborant, cujus exitus suppuratio esse solet. Urina in hacce forma acido carbonico libro valde impraegnata est. — Altera in viris aetate provectis, qui cibis acribus, spirituosis caseisque putridis fruuntur, observatur, et conjuncta est cum Urodialysi. Saepissime secundum Naumann 4) renum Scleriasis, vel Induratio post hancce inflammationem oritur, quae etiam Nephrocele nominatur. Ex Baumgärtneri 5) sententia scleriasis raro

---

1) Berends, Vorles. Bd. III. S. 348.

2) Fuit tamen aliquando, cum sine vomitu, et sine ullo aut certe cum levibus renum morbidorum indiciis, non levia horum male delitescunt, aut pro veticae innoxiae vitiis imponerent. Morgagni Epist. XLII. nr. 14.

3) Bd. I. S. 327.

4) Bd. VI. S. 39.

5) Bd. I. S. 528.

obvenit post Nephritidem, et interdum sensu pressionis ponderisque atque per tactum cognoscitur. Haecce vero symptomata non semper manifeste prodeunt, urinaeque tantum secretio suppressa, et hydrops ex ea orta conspicitur, qua re nonnunquam, symptomatibus inflammationis praegressis non satis perspicuis, totus morbus ut Hydrops, urina suppressa vero ut Hydropis symptoma haberi potest. Si vero inflammatio autem se manifestabat qui sensim sensimque hebdomade tertia vel quarta sine dissolutione vel suppuratione evanescit aegrotus quoque pondus quoddam in abdomine cum femoris torpore, a nervis medullae spinalis pressis dependente, sentit, si secretio urinae pallidae minuitur, tumor etiam elasticitatem nullam praebet, Scleriasin opinari licet. — Etiam medulla spinalis ipsa cum renibus affici potest. Triller 1) observavit kyphosin ob perdurantem vertebrarum pressum, volumen enim renis tantum esse potest, ut totum abdomen impleat. —

HYDROPS RENALIS.

Hicce morbus, ex Königii opinione, inflammationis effectus est, tamen vero etiam aliae causae eum procreant, ut ureteris obliteratio, ostium ureterum clausum, degeneratio substantiae renum, quae non semper ab inflammatione proficiscitur. Symptomata generalia, haec dicuntur: Dolor aut omnino nullus, aut premens, aut pungens in regione lumbali et renali sentitur, et inclinatione corporis augetur. Hicce dolor saepe ita fallit, ut maximam partem Rheumatismus chronicus seu Haemorrhoides

---

1) D. W. Triller. De gibbo ex nephritide potius quam ex phrenitide. Wittenb. 1754.

putetur. Interdum usque ad vesicam propagatur, quocum torpor femoris conjunctus est.

Nonnunquam dolores exacerbant, vel status febrilis et meteorismus intrant, urinae secretio variabilis, interdum normalis. 1) Saepe fluctuatio discerni potest. Sub exitu morbi lingua arida, febris continens, vomitus frequens, lassitudo permagna adesse solet, quamquam interdum nonnullos tantum dies ante mortem dysuria observabatur. Schœnlein 2) duas varias Hydropis species distinguit, quarum in una ureteres aperti sunt, aegrotusque magnam urinae copiam secernit; urina e viridi pallens multum albuminis continet, vesica urinaria extensa est. In altera ureteres clausi sunt, parum urinae excernitur coloris subrubri, vesica urinaria non dilatata, tumor in regione renali major existit, et symptomata plurima vehementiora evadunt. — Attamen vero omnia fere symptomata deesse possunt, si functio alterutrius renis non turbatur. 3)

NEPHRALGIA SYMPHORETICA.

Congestio renalis.

Quae facillime mensibus suppressis vel haemorrhoidibus vel in puerperio oritur, plethoraeque symptomata praebet. Molimina ad urinam mittendam parva sunt, urina est fusca, in urethra saepe dolorem urentem efficiens, copia vero non semper diminuta. Vomiturito et vomitus interdum tantum accedunt.

1) Meckel, Handb. d. pathol. Anatom. Bd. II. Abth. I. S. 307.
2) Bd. III. S. 292—295.
3) Bd. VI. S. 59.

Dolor in regione lumbali magis lumbaginem similat, decubitu in lectis calore, situ et spirituosis morbus augetur.

HAEMATURIA. S. HAEMORRHOEA RENALIS.

Sanguinis profluvium, cui dolores vel sensus molesti in regione lumbali praegrediuntur, secundum Hollerium 1) a renibus dependet, sanguis enim, quia per ureteres permeat intime cum urina miscetur, et tardissime in vasis fundo seponitur. Sanguis vero non primum in uretere miscetur sed jam ex renibus cum urina conjunctus excernitur.

Interdum in urina cernitur concrementum ex fibrina ureteris formae 2) quod a scriptoribus antiquioribus polypi et vermes renales habebatur. Saepe dolores illi in nephrorrhagia a fibrina in uretere concreta efficiuntur, quum urina impediatur quominus profluat. Etiam in vesica dolores sentiuntur, si sanguis in ea coagulat, qua de re dysuria, Ischuria et omnia symptomata cystolithi, quae vero catheteris auxilio cognoscuntur, obvenire possunt 3). Quod ad urinae colorem rubescentem vel fuscam

---

1) J. Hollerius de morbis internis, de febribus etc. Lugd. 1578.

2) Si parca copia et lente delabatur, ille cruor in ureteribus vermiformem figuram adipiscitur; vermes illi aliquot lineas longi, calamoque angustiores fundum matulae petunt; urina supernatans, aut in intervallis emissa, citrina est. Sauvages Nosol T. III. P. II. p. 46.

3) Vidimus quidem in puero variolis affecto, nigram fere ac sanguineam urinam sine tanto periculo excretam, sed puer liene permagno instructus erat; sub quo rerum statu urinae nigrae non tanta quidem indicant in omnibus discrimina P. Frank p. 272.

attinet, a nonnullis medicaminibus quidem huncce colorem accipere potest, tum vero neque dolore excernitur, neque linteum tingit. — Perraro haematuria nigra observatur, quae magni periculi esse dicitur, tamen vero sunt, qui urinam nigram sine magno periculo excernere viderent, 1) interdum Icterus hematuria nigra sanatur.

DYSURIA, ISCHURIA RENALIS ET URETERICA.

Ischuria simplex vocatur, si urina ex alterutro rene in vesicam immiti non potest, duplex vero, si quid in utroque rene obstat, quominus profluat.

Ischuria simplex difficillime cognosci potest, quum urina ex altero rene emittitur, et interdum modo copia diminuta apparet. Duplex vero, quae perraro observatur, eadem symptomata quae Uroschesis s. Anuria, in omni aetate, praecipue vero apud neonatos senesque observata, praebet. Differentia inter Ischuria et inter Uroschesis haec est, ut in illa urina solum impediatur, minus effluat, in hac vero renum functio suppressa est, aliisque organis urea secernitur; qua re a renibus vel nihil vel perpaucum emittitur. Interdum remissiones et intermissiones observatae sunt 2). Iis in casibus vesica vacua invenitur, neque urinae emittendae nisus, neque dolores in regione vesicali

---

1) Excretis vermiculis oblongis anguillaribus, dolor omnis evanescebat. Vater Diss.

2) Tulpus observavit Anuriam, quam Ischuriam renalem lunaticam nominavit. Haecce Anuria omni plenilunio oriri solebat et quinque dies perdurabat. Aperto cadavere inventa est renis sinistri pelvis in eam amplitudinem excrevisse ut vicem vesicae urinariae commode suppleret; hinc ischurici paroxysmi tempore tam vesica fuit vacua, quam ren sinister repletus. Observationes med. libri 3. Amstel 1641.

sentiuntur; de dolore vero plus minusve magno in regione lumbali et saepe in regione renali, qui pungens et premens esse dicitur, queritur, quocum dolore torpor femoris conjunctus esse potest. Parva urinae copia quae excernitur odoris intente ammoniacalis est, doloremque urentem accusat, interdum floc culos continet. Uroschesis perdurante urinae elementa ex aliis organis emittuntur, et quidem ex pulmonibus, ex quibus tum spiritus foetidus provenit, ex cute sudor urinae odoris, vel ex canali intestinali, ubi ructus, vomitum 1) et diarrhoeam ejusdem odoris efficiunt; etiam ex glandulis salivalibus, ex aure et naribus fluidum urinale excretum est 2). Interdum cephalalgia, vertigo, convulsiones et apoplexia, saepius vero typhus oriuntur. — In neonatis saepe Anuria obvenit, cui odor oris acidum ventriculi indicans, vomitus, obstipatio alvi alternatimque diarrhoea, praegredi solent. Urina sensim sensimque minuitur, quae urea valde impraegnata est odoremque pungentem praebet. Nisus urinae excernendae magnus, et stranguria accedit. Excretio urinae dolorem urentem efficit, qui eo cognoscitur, quod infantes valde clamant, et pedes alvum versus attrahunt. Nonnunquam affectus catarrhales peculiares infantibus, in quibus urina haud affatim excernitur, observantur. Erythemata in cutis

---

1) Legitur, monialem hystericam post ventris dolores, motus convulsivos, inflammationes, incidisse in urinae suppressionem illamque postea urinam evomuisse per quadraginta dies et ultra; et toto hoc tempore nullam emingebat urinam, nisi unciam circiter quotidie, quae cathetere in vesicam immisso educebatur. Cessavit sponte haec ischuria, rediens post sex septimanas denuo, cum tali contractione urethrae, ut catheter nullo modo in vesicam introduci potuerit. Per vomitum autem reddebatur urina nullis ventriculi contentis intermixtis. v. Swieten. Com. T. III. §. 994.

2) Nonne Diss. de enuresi.

plicis prope articulos raro deest. Interdum, sécundum Schoenlein, Peritonitis a vesica urinaria incipiens oritur: alvus antea spasmodice contractus extenditur, et valde dolet.

Nonnunquam pectus afficitur. Respiratio subito difficilis, anhelans fit, pectus non extenditur, et respiratio paene solis musculis abdominis peragitur; quem insultum vomitus finire solet. Ab Anuria etiam convulsiones, Hydrocephalus et Apoplexia serosa dependere possunt. —

Ut infantes, ita etiam senes Anuria corripiuntur, cujus proxima causa 1) in utrisque in eadem sanguinis dyscrasia haeret; quare symptomata non valde differunt, accedunt vero interdum dolores trahentes secundum extremitates inferiores. intermittentes, qui nonnunquam nervum ischiadicum et cruralem sequuntur (Ischias urinosa). Ex anuria vero senili oriuntur: Prurigo senilis quae saepissime etiam ob cutis perturbatam actionem 2) obvenit, Pemphigus, (Ulcera urinosa) Eczema chronicum, Pseudocarcinoma urinosum, Ophtalmoblenorrhoea senilis, Asthma urinosum, Apoplexia senum.

ISCHURIA NEPHROSPASTICA. S. MEPHRALGIA HYSTERICA.

Quantam vim nervi in secretiones exerceant, satis constat,

---

1) Senilis stranguria differentia ab aliis in diuturnitate consistit, neque ab externo vitio illata, sed a depravata digestione atque corruptis humoribus causata. Wedel Diss. de stranguria senili. Jen. 1721. p. 28.

2) Senibus impeditur transpiratio insensibilis a motu sanguinis impedito, et causis hunc producentibus, dum sanguis majus vitium a chylo novo, crudo, acido nanciscitur; uno verbo omnia secernenda sanguini remixta servantur, atque acrimoniam, quo humores purgari debebant, magis fovent. Wedel p. 25.

quare etiam ab iis, causa quadam, renum dolores spasmodici oriri possunt, qui praecipue in Hystericis et Hypochondriacis observantur. Dolores acerrimi a renibus secundum ureterum decursum utplurimum subito intrant et celeriter evanescunt, conjuncti vero sunt cum symptomatibus consensualibus, ita ut difficulter admodum dignosci queat, utrum haec symptomata ab incluso calculo, an vero ab effectu aliquo hysterico nascantur. 1) Lithontripticis et diureticis remediis malum augetur, narcoticis vero tollitur. Anamnesis igitur medico in hocce casu magnum adminiculum praebebit ad dijudicandum, utrum a Lithiasi an a sensibilitate aucta petenda sit mali origo.

RENUM TUBERCULOSIS.

Quamquam renum tubercula stricte cognosci non possunt, et interdum dumtaxat illorum praesentiam suspicare licet si ex pulmonibus ejiciuntur 2), tamen F. A. ab Ammon haecce symptomata descripsit; cutis color fere cerae flavae

---

1) Quandoque hoc malum in alterutum ex renibus incursans atrocissimo quem illic parit, dolore paroxysmum nephriticum omnino mentitur idque non solum doloris genere locoque, quo saevit, sed et adscitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnunquam ex eo, quod dolor per ureterum ductus propagetur ita, ut aegre admodum dignosci queat, utrum haec symptomata ab incluso calculo, an vero ab effectu aliquo hysterico enascantur; nisi forte casus aliquis acerbior aegrae animum paulo antequam corriperetur discrucians, aut materiae viridis per vomitum rejectio symptomata ista adfectioni potius hystericae quam calculosae tribuenda esse docuerint. Sydenham Opp. p. 343.

2) Morgagni Epist. LXVIII. nr. 12.

similis, laxitatem praebet, et modo calida, modo frigida tangitur, saepe sudore tenaci modico obtecta. Membranae mucosae sunt irritatae, modo aridae modo multum secernunt, qua re tussis, fames, obstructio et diarrhoea obveniunt. Si renum tumor exiguus est, aegroti situs Lordosi laboranti aequat. Symptomata localia in vesica et urethra manifestantur; oritur enim pruritus in urethrae orificio, et modo nisus urinae excernendae, modo ischuria, urina vero ipsa symptoma constantissimum dicitur, colorisque flavescentis, sero lactis similis maximam partem magna cum difficultate excernitur. Nonnullis horis post urinam excretam sedimentum farinosum, limpidum, tuberculosum praecipitatur. Mictus cruentus, nonnisi renes, tuberculis degenerati, jam in emollitionem transierunt. Maximam partem tumor in regione renali morbosi lateris tangitur.

DIAGNOSIS.

Quanti momenti et Anamnesis et Aetiologia sit in morbis, maxime ex iis elucet, in quibus symptomata vaga et inconstantia sunt; itaque etiam in renum morbis bene dignoscendis medico maximum auxilium praebeant oportet. Praecipue vero Nephritidis acutae symptomata sunt, quae cum iis aliorum morborum facillime confundi possunt, quare ea symptomata, quibus differuntur, quantum fieri potest, afferam.

1) A psoitide nephritis, nisi cum illa conjuncta est, distinguitur eo, quod in illa extensio femoris propter dolores vehementissimos fieri non potest, in hacce vero dolor profundius versatur. magisque perspicue ureterum decursum sequitur, mictusque difficilior est.

Abscessus vero a psoitide ortus, celerius phtisin accusat, quam a nephritide.

2) A cystitide differt eo, quod in nephritide symptomata consensualia majora sunt, in illa vero stranguria summum gradum

assequitur. Exploratione quoque cathetere facta diagnosin certiorem obtinemus. Jam Celsus cystitidis diagnosin stabilivit cum ait: At si urina paulatim destillat, vel si sanguis per hanc editur, et in eo quaedam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, et circa pubem interiores partes dolent, in vesica vitium est.

3) A Lumbagine rheumatica discernitur eo, quod in hac vomituritio et vomitus deesse solet. Dolor etiam vespere augetur et raro cum febre magna conjungitur; urinae copia vel indoles non talis est, qualis in Nephritide observatur, sedimentum lateritium conspicitur. In lumbagine quoque aegrotus truncum, quem cum facie terram versus inclinavit, sine magnis doloribus levare potest, nisi forte periosteum vertebrarum lumbalium affectum erat, in Nephritide vero talis motus dolorem vehementem efficit. Testis neque retractus neque dolorificus.

4) Ab Enteritide abhorret eo, quod in Nephritide dolor permanens in regione renali sentitur ureteris decursum sequens, et quod pulsus in primo stadio magnus et plenus existit, in enteritide vero parvus. Testis neque retractus neque dolorificus, quibus symptomatibus etiam a Colica differt.

5) A Myelitide eo, quod urina in Myelitide indolem inflammatioram praebet, quod vomitus deest, et quod de tremore sensuque formicationis in extremitatibus inferioribus queritur, neque facultas trunci tollendi adest. Paralysis quoque incipit et incontinentia urinae accedit.

7) A Nephralgia calculcosa tantum interdum distingui potest Nephritis, nam obvenit etiam, ut ipsi calculi inflammationem efficiant. Si vero affectiones eorum non ad talem gradum progressi sunt, ipsi eo cognoscuntur, quod dolores intermittunt neque inflammationis symptomata se manifestant. Pulsus irritatus est, duriusculus, attamen non febrilis. Vesica et ipsa urethra in Lithiasi renali magis affecta esse solet, neque minus dolores femoris spasmodici elucent. Retractio testis

spastica ad annulum inguinalem praecipue in Nephralgia calculosa cernitur. Urina emissa mucum flocculentum continet. Saepius aegroti antea arthritide seu Lithiasi laboraverunt.

7) Ab Aneurysmate aortae abdominalis dignoscitur eo, quod saepe cum vomituritione, vomitu, doloribus colicae similibus, et pressu in regione renali conjunctum est, praecipue pulsatione in abdomine intermittente, et urina non inflammatoria, neque testis retrahitur ut in Nephritide, femorisque torpor cum febre deest.

VITA.

Natus sum Marcus Peiser, veteri fidei addictus, Glogoviae, Silesiae inferioris oppido, die decimo mensis Februarii anno hujus saeculi duodecimo, patre carissimo, M. Peisero, mercatore, quem morte mihi ereptum, pro dolor, valde lugeo, et matre dilectissima Carolina, e gente Goldstuecker, quam adhuc superstitem veneror. Primis litterarum elementis domi paternae imbutus, puer decem annorum scholis Lignicentibus, quae sub viro de me optime merito, clarissimo summeque colendo Koehler, artium liberalium Magistro h. t. Directore florebat, nonnullos annos interfui, ibique Gymnasium sub Cel. Rect. Prof. Werdermann Eq., nunc defuncti ad annum decimum quartum usque frequentavi. Desiderio aliarum rerum gerendarum captus, scholam deserui, quam, quatuor annorum spatio interposito, iterum anno h. s. tricesimo petii et per quinque annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus, almam Leopoldinam Vratislaviensem universitatem adii, ibique ab Ill. Uterholzner t. t. fasces academicas tenente, inter cives academicos receptus, et ab Ill. Otto t. t. Illustrissimi medicorum ordinis Decano maxime spectabili rei medicae studiosis adscriptus sum. Ibique hisce interfui scholis:

Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, ophthalmiatrice, fasciis rite applicandis, instrumentis chirurgicis, et operationibus in cadaveribus rite instituendis. Idem in exercitationibus clinico-chirurgicis et ophthalmiatricis dux mihi erat benignissimus.

Ill. Betschler de arte obstetricia theoretica et practica.

Ill. Braniss de logice et psychologia.

Ill. Fischer de chemia theoretica, practica, pharmaceutica, nec non de reagentiis chemicis.

Ill. Glocker de mineralogia generali et speciali.

Ill. Goeppert de plantis officinalibus, de arte formulas medicas rite concinnandi.

Ill. Gravenhorst de zoologia.

Ill. Henschel de encyclopedia medica, de botanice et de inflammationum diagnostice.

Ill. Otto de universa corporis humani anatome, comparata et pathologica, de osteologia et syndesmologia, de historia foetus, de sectionibus forensibus rite instituendis. Idem in exercitationibus anatomico-practicis dux mihi fuit benevolentissimus. —

Ill. Pohl de physice, de luce et calore

Ill. Purkinje de physiologia corporis humani experimentis illustrata, de Histologia, de animi morbis.

Ill. Remer de therapia generali, de febribus et inflammationibus. Idem vir gravissimus ad aegrotorum lectos mihi fuit dux benignissimus.

Ill. Remer jun. de Syphilide.

Ill. Wachler de hodegetice.

Ill. Wendt de materia medica, de morbis infantum.

Praeterea medici adjutores Ill. Remer jun., Exper. Dr. Koehler, Dr. Schoenborn in exercitationibus medico-practicis benigne me adjuverunt.

Anno praeterlapso Berolinum me contuli ibique ab Ill. Boeckh t. t. Rectore magnifico in civium Almae Fridericae Guilelmae numerum receptus, et ab Ill. Wagner t. t. Gratiosi Med. Ord. Decano maxime spectabili medicinae studiosis adscriptus, hasce scholas clinicas frequentasse glorior.

Clinicum medicum Cel. Wolff.

Clinicum medico-chirurgicum Ill. v. Graefe.

Clinicum chirurgicum Ill. Rust.

Policlinicum medicum et chirurgicum Cel. Truestedt.

Clinicum infantum Ill. Barez.

Quibus viris omnibus Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis jam summos medicinae et chirurgiae honores adepturus, gratias, quas possum, debitas maximas, ago semperque servabo.

THESES.

1. Non omnis dolor ad morbosum statum, sed etiam ad sta-tum sanum pertinere potest.
2. Paracenthesis in Ascitidie provectiore novam fluidi accumu-lationem accelerat.
3. Febres symptomaticae criseos indolem habent.
4. Nullum remedium melius est, quam anceps.
5. In omni contusione capitis graviore incisio institui debet.